

Sammelbd

Quint. 1. Teil

13. Altk. 13. August

I. N. J. C.
DISSERTATIO PHILOLOGICA

De

**ÆNIGMATE
SAMSONIS,**

QVAM

*Consentiente Incluto Collegio Philosophico, in Alma
Lipsiensi Academia*

PRÆSIDE

**M. JOHANNES ULRICO
WILDIO,**

ARGENTORATENSI,

publicè defensum ibit

JOHANNES VVILHELMUS Weyhe

Opffershufano-Hennebergicus,

ad d. 30. Mens. Decembr. h. l. q. f.

Lipsiæ,

Litteris JOHANNIS-ERICI HAHNII,

clō clō LXV.

Decorative border consisting of a dense, repeating pattern of small, stylized floral or geometric motifs.

Æ Nigma nobis de Fera exponis verus;
Expone de Fero novum, Sacer Oedipe,
Ænigma Te dignum Tuoque acumine.
Ferus est mihi Tibiq; *VVildi*, cognitus.
Hunc audiisti Tu vocare me Ferum,
Sed qui vocavi, nullibi vidi Ferum.
Vidi modestum, cum Ferus nos audit.
Qvis ille, *VVildi*? quis ferus mihi non ferus?
Sis Demonax (a) mihiqve fies Oedipus.

*a. Interrogatus quando cepisset
philosophari. Postea quam, in-
guit, cepi nosse me ipsum.*

*Dno Presidi
Suo in Societate Anthologica Collegæ
dilectissimo gratulab. f.
M. V. ALBERTI, Dial. & Metaph.
P. P. Collegiique Philosophici h. t.
Decanus.*

AD



AD MEAS DELICIAS,
VVILDIIUM

&

ARGENTORATVM.

PYrrhonis dejecta Schola est, Academica telis
Strata jacent, WILDI, dogmata (macte!) tuis.
Vidimus everfas felici Marte catervas,
Nil sciri exemplo quæ docuerè suo.
Sceptica non uno certamine somnia vidit
Lipsia victoris procubuisse manu :
Atq; hic non *aliquid* tantum, sed plurima *sciri*
Plus, ait, exemplo, quàm ratione probat,
Jamq; adeò abstrusum convisis solvere griphum
Cernimus: hunc multum scire quis ergo neget?
Qvem non arguti nodum potuere Philistæ,
Pellæo meliùs WILDIUS ense fecat.
Tu verò egregii, ARGYROPE, nutricula alumni
Præmia Pierio digna labore refer,
Nempe dari dextro Samson ænigmatis ipse
Oedipodi voluit justa brabæa sui. *

* *Jud. XIV, 12.*


JO. BENEDICTVS CARPZOV.

Phil. Pract. Profess. ordinarius.

CUM BONO JESU.

CAPUT. I.

1. Veterum laudabilis mos convivialis. 2. Solebant ænigmata proponere. 3. Destinato certo præmio vel multa. 4. Idem observavit Samson. 5. Quæ res materia præsentis dissertationis.



NON minus laudabilis, quam utilissimus, apud varias gentes veterum, mos fuit convivialis, quo non tam gulæ & corpori cibos potusque, quam animo oblectamenta parare studuerunt; multis diversisque rationibus excogitatis, quibus inter epulas honestas voluptates sibi excitarent (a). Hinc erant, quos oblectabat in conviviis scriptores legere, alios canere vel assa voce, vel ad lyram; Erant quos *πῆσαι εἰπεῖν*, & veterum Poëtarum versus recitare juvabat. Alii in proponendis solvendisque quæstionibus occupati erant, non quidem ex penetrabilibus Philosophiæ petitis, non disceptabant (b) *super rebus anxii aut tortuosis, sed jucundas ac invitabiles quæstiones, cum quadam illecebra & voluptate utiles, ex quibus ingenium venustius fieret & amari*, proferebant, inde cœna Platonica, epulæ Socraticæ. (c) Inter cetera verò maximè delectabantur ænigmatibus, griphis, logogriphis & quæstionibus obscuris, quas vel is qui hospites invitaverat, vel omnes convivæ in orbe proponebant (d). Neque solum apud

A

genti-

- (a) Vid. Jf. Casaub. animad. ad Athen. l. 10. c. 15.
(b) A. Gell. N. A. l. 13. c. 11.
(c) Vid. Stuckius Conviv. Antiq. l. 3. c. 17. & 18. Dillherr Dispp. Philol. Tom. 2. p. 414. Lud. Lavat. Comm. in Jud. c. 14. Serm. 77. Henr. Kipping. Antiq. Rom. l. 4. c. 3.
(d) De hac re vid. Jac. Pontan. in dialogo qui inscrib. ænigma. Cæl. Rhodig. lect. antiq. l. 15. c. 4. Scal. l. 3. Poët. c. 84. Nicol. Reufner. ænigmatogr. p. 79. Jac. Masen. Spec. Im. verit. occultæ. l. 6. c. 9. §. 3. Nicol. Serar. Comm. in Jud. c. 14. q. 12. p. 422. adde supra cit. Auth.

gentiles, sed & in S. historia reperimus hunc ritum observatum fuisse (e). Quin ipse *salvator* noster epulas parabolis, jucundis utilibusque quaestionibus condire, & pro cibo potuque corporis, animum necitare & ambrosia caelesti saturare solitus est, sermones *διδασκαλικῶς, ἐλεγκτικῶς & παραμυθικῶς* preferendo (f). Ita verò ænigmata proponere solebant, ut ut quoque solventibus præmium, solvere verò nescientibus multam præscriberent. Præmium erat multiplex, interdum, nummi; nonnunquam portio carnis, vel corona, nec non oscula, sæpius portio vini. Multa præter risum, phiala *κεκερασμένη*, poculum saluginis, muria, quod *ἀπνευσί* uno haustu ebibere cogebantur, vel alia pœna irrogabatur (g). Morem hunc antiquissimum observasse etiam Judæorum Herculem Samsonem legimus in S. codice *Jud. c. 14.* Ille nimirum in suarum nuptiarum cum sponsa Philisthæa celebratione, triginta suis sociis, paranymphis, publico nomine sibi additis, ut haberent quò animum exercerent, juxta corporis delicias, proposuit ænigma solvendum, promisso solventi-

(e) Conf. libr. Apocr. Esdr. l. 3. c. 3. & 4.

(f) Luc. 14. Stuck. l. c. c. 18.

(g) Ita *A. Gell. N. A. L. 18. c. 2. p. m. 443:* Qui cœnulam ordine suo curabat, præmium solvendæ quaestionis ponebat librum Veteris Scriptoris vel Græcum vel Latinum, & coronam è lauro plexam; totidemque res quærebat, quot homines isthic eramus, cumque eas omnes exposuerat rem locumque dicendi fors dabat. Quaestione igitur soluta corona & præmio donabatur, non soluta autem tramittebatur ad eum, qui fortuito successerat; Idque in orbe vice pari servabatur, si nemo dissolverat quaestionis ejus nodum, præmium ipsum & corona DEO, cuius id festum erat dicabatur. *Gerh. Jo. Voss. l. 4. Insl. Ordt. c. 11. p. 203.* Eustathius in *Odyss. l. 22.* refert, illum qui solvisset pateram bibisse, si solvere non posset, bibisse *ἢ ἀπορήσωνται*, h. e. qui proposuisset. Itaque existimo nunc hanc nunc illam conditionem fuisse, præsertim quando Hesychius in voce *γῆϕ* scribit, ei qui non solvisset, hanc irrogari multam solere, ut ebiberet vel vinum meracum, vel aquæ *κάδον*, h. e. scyphum. Confer *Athen. Dipnos. l. 10. c. 22. edit. Casaub. p. 456. 458. Scal. l. c. Stuck. l. c. Rhodig. lect. Antiq. l. 28. c. 4. Nic. Ser. l. c. q. 13.*

ventibus præmio haud exiguo, nempe, pro sociorum numero, XXX. sindonibus (h) seu lineaminibus, & XXX. vestibus mutatoriis seu tunicis; Item ab illis petiturus, si minus solvere problema potuerint. Accipiebant focii conditionem, fiducia in suorummet multitudine, satisque longa mora, septem dierum, posita. Itaque *Samson* hoc proponebat ænigma *De comedente exivit tibus, & de fori egressa est dulcedo*. Non putamus rem absq; divina pronœa singulari factam esse, utut eo nomine à *Joh. Wolphio* reprehendatur, quod lucrum à *Samson*e positum fuerit, cum postea plurimorum malorum ansam præbuerit (i). Sed Theologis id dijudicandum non præripiemus; Uti & eousque hoc ænigma nobis examinandum non sumemus, ut vel *Samsonis* scopum, vel *DEI* consilium sub disputationem revocemus (k), sed Theologis sua relicturni, philologicam instituemus meditationem, naturam ænigmatis, præsentisque solutionem investigaturi, ac ostensuri, à *Philisthæis* solis id optimè solvi potuisse absque alieni vituli auxilio, si ingenii nervos intendissent.

A 2

CA.

- (h) Per sindonem intelligunt interiora vestimenta lineæ, quæ non ponuntur, *Hembder*. Per mutatoria, superiora quæ deponimus & resumimus, ut sunt togæ, pallia &c. Vulgo intelliguntur splendidiore vestes, *Feyertags Kleider*. Vid. *Ludov. Lavat. l. c.*
- (i) *Comment. in h. l. serm. 63.* Sed rationes ejus inversas à *D. Ambrosio*, vid. apud *Wilh. Stuck. l. c. p. 368. B.*
- (k) *Wilh. Alabaſter Anglus* apud *Nic. Serar. l. c. p. 427.* putat, ad modum disputationis ænigma à *Samson*e propositum fuisse, ut de ingenii subtilitate certarent & de gloria acuminis; *Samson*eque eo sponsæ suæ ingenium ostendere voluisse; *Quamobrem Philisthæi* subtilissimos omnium *Logicos* elegerunt, qui cum *Samson*e disputarent. Credimus verò nihil ejusmodi *Samsoni* unquam in mentem venisse; Sed hæc & plura alia, quibus *S. Scripturæ* loca pro labitu suo miris mæandris & labyrinthis, magna & illaudabili confidentia exponit, tantum non illi per somnium visa esse, ita ut melius, judicio *Excellentiss. Dni, Lic. Schertzeri, Noſtri Præceptoris meritissimi*, in lect. publ. ad *Scripturam* parieti inscriptam *Dan. 5.* (quam eodem modo *Anglus contorsit*) *Schifer* quam *Alabaſter*, vocari possit.

CAPUT. II.

1. Ænigmatis Etymologia. 2. Vocis hebrææ homonymia. 3. Item Græcæ. 4. Eiusdem Synonymia. 5. Gryphus quid? 6. Differentia ab ænigmate. 7. Scirpus. 8. Obscuritas ænigmati propria. 9. Non omnis, sed tropologica. 10. Et quæ connexionem impossibilem reddit. 11. Ænigmatis divisio. 12. Variorum definitiones.

1 **Æ**nigma vox est latina civitate donata, origine græca derivata ab *ἀνίμασεν* quod est obscure innuere, & rem involutis tegere. Hoc verò descendit ab *ἀνίμα*, cuius plures significationes vid. apud Gerh. 70. Voss. (a) Hebræis est *אֲנִימָה* non *אֲנִימָה* ut Volphius l. c. putat, à *אֲנִימָה* anigmatiz. are. anigmata proponere, utrumque in nostro loco Jud. reperitur. Alii à radice *אֲנִימָה* acui, acutum esse derivant quod acumen ingenii adhiberi oportet
 2 ad anigmatum solutionem. Quemadmodum verò vox Hebræa in sacro codice diversas obtinet significationes, modo enim reperitur latissimè pro encomio & narratione rerum mirandarum, ut Psalm. 78. quævis & ibi pro quavis sententia *אֲנִימָה* ve *אֲנִימָה* accipi possit; modo pro quæstionibus abstrusis & perplexis ut 1. Regum. 10. Ubi Regina Sabæa dicitur Salomonem anigmatibus tentasse. Mox pro Apologo, ut Ezech. c. 17. Cùm Propheta jubetur de duabus aquilis apologum recitare. Item de
 3 sententiis Sapientum, Prov. 1. (c) Ita quoque anigmatis vox diversa

(a) Instit. or. I. 4. c. 11. p. 202. Nonnulli *ἀνίμα* idem quod anigma esse volunt, sed latius multò esse, usus ubique probat. conf. Lil. Gyrald. præf. ad lib. anigmatum. D. Glass. Rhet. S. tr. 1. c. 22.

(b) Deceptus forte est voce Chaldææ *אֲנִימָה* quæ idem quod anigma significat, sed *אֲנִימָה* nec Hebræum nec Chaldæum est.

(c) Vid. de his omnibus locis, aliisque in quibus hæc vox reperitur, illiusque ulteriori usu, prolixè differentem Dn. D. Glassium Rhet. fac. tr. 1. c. 22. Lil. Gyrald. l. c. Tom. 2. operum. p. 446. Illud, inquit, etiam observabi apud Græcos, quod præteritum etiam anigma vocetur, & quæ pro verbis utantur apud Græcos, verteruntur LXX. anigmatiz. quæ fit, ut ejus significatio latius esse videatur.

versimodè apud authores accipitur, modò in latiori, modò stri-
 ctiori significato. Veteres Grammatici, ut & recentiorum quidam
 quàm libet allegoriam obscuriorem ænigma dixerunt; Hinc &
 symbola, maximè illa Pythagoræ passim obvia: *Cor non esse eden-*
dum, ignem gladio non esse fodiendum &c. de quibus vide Gyraldum
 in peculiari libello (d) Cæterum ænigmata variis quoque ap- 4
 pellationibus gaudent, ceu quod *ζητήματα κυλικεία* vel *συμ-*
ποτικά, poculares & conviviales quæstiones appellantur, eò quod in-
 ter pocula moveri solitæ sint (e). Apud veteres scriptores, præ-
 fertim Athenæum, & Scholiastas Homeri & Aristophanis, cre- 5
 brius occurrit vox *γρίφῳ* vel *γρίπῳ* (genus aliàs retis pesca-
 torii denotans) quàm *αίνιγμα*. Imò nullum apud plurimos ap-
 pareri inter hæc discrimen: promiscuè enim *γρίφῳ* & *αίνιγμα-*
τῶδη eodem veniunt sensu. Recentiores verò satis auxilii in dis-
 crimen utriusque inquirunt. Fatendum equidem hoc est, Cle-
 archum Solensem apud Athenæum (f) latissimè uti voce *γρίφῳ*,
 ita ut ferè nullam quæstionem ab eò excipere possis: Simples
 enim nullaque vel obscuritate vel tropo laborantes quæstiones
 e.g. *quid omnium sit fortissimum?* sub eo comprehendit (g). plurima
 proponit, quæ parum habent acuminis, specimina tamen *πολυ-*
μαθείας & πολυαναγνωσίας, maximè verò τὰ *μνημόνια* sunt: Ve-
 rùm si apud veteres horum differentiam velles quærere, forsitan
 frustra laborares. Id quod accidit sæpius in aliis quoque rebus, quas
 recentiores ex diverso ejusdem usu distingvere solent, cujus di-
 stinctionis ne vestigium quidem apud illos apparet. Certè illud 6

A 3

discri-

- (d) Confer. Voss. l. c. & Jac. Masenii Speculum imag. Ver. occ.
 l. 6. c. 8. §. 3.
 (e) Vid. Stuck. l. c. II. Casaub. ad Athen. l. 10. l. c. Lavat. Cæl.
 Rhodig. & Lil. Gyr. l. c.
 (f) L. 10. c. 17. seqq.
 (g) Griphi appellationem latius producunt & Clearchus & di-
 pnosophistæ, quàm cæteri scriptores, & universum opinor,
 vulgus olim græcè loquentium. Illis enim griphus est con-
 vivialium propria species, ænigmati similima, rem quàm signi-
 ficat ambagibus de industria tegens. Clearcho non solum
 τὰ *αίνιγματῶδη* problemata, sed omnes in universum quæ-
 stiones, quibus soliti docti convivæ inter se ludere ad ostenta-
 tionem vel acuti ingenii vel eruditionis vel memoriæ. *Verba*
sunt Casaub. ad c. 15. l. 10. Athenæi.

discrimen, quod Recentiores inter ænigma & griphum faciunt perpetuum saltem non est. *Jul. Pollux Grammat.* ad quem videmus ferè omnes in hac controversia recurrere, ita distingvit: *καὶ εἴχῃ τὸ μὲν ἀίνιγμα παιδιᾶν, ὁ δὲ γρίφῳ καὶ σπῆδῳ*. nempe ænigmatum materiam esse jocos & sales, griphorum verò res serias & graves. Sed tum apud Athen. cum alios invenies utriusque contraria, nec videmus cur materię non admodum diversę ratio, tantum inter hæc discrimen constituere possit, nisi velit aliquis infinitas, pro materię ratione, admittere distinctiones. Placet nobis iudicium Viri in hac materia versatissimi. *Lil. Greg. Gyraldi* in *sapius* c. l. ubi ita scribit: *Sunt præterea qui inter ænigma & griphum non nihil differre tradant, quod ænigma lusum tantũ habeat & jocum, griphi etiam studium curamque. Sed multa legenti hæc inanis apparebit diligentia* (h) Disputant illius opinionis assertores quòq; utrum ænigma rectè scirpus appellari possit, negant, increpantque *Gellium*, qui ita scribit: (i) *Quæ Græci dicunt ænigmata, hoc genus quidam è nostris veteribus scirpos appellaverunt* (k). Ideò quòd scirpi ex eò genere palustrium juncorum sint qui enodes & læves sunt, unde tritum sermone Proverbium: *nodum in scirpo quærere*, id est, difficultatem in rebus admodum claris & perspicuis; quis verò, per antiphrasin, vel per metaphoram à nasillis deductam, quæ scirpi vel siirpi vocantur, eodem modo & ænigma dici posse negaret? Latè verò hanc sententiã vindicarunt *Gerh. Jo. Voss. l.c. & Calius Calcagnius* in peculiari hæc de re epistola (l) Hæc de nominibus. In affectionibus major apud

(h) Conf. *Voss. Inst. or. l. c. & Rhodig. antiq. l. c.* Scriptores

(i) *N. A. l. 12. c. 6.*

(k) Sunt qui corrigunt *A. Gell.* locum, pro scirpo griphum vel scrupum scribentes. Illud equidem cum Græcum sit, manifestaq; ab *A. Gellio*, fiat oppositio, substituere non possunt; nec vix alterum, cum Codices illud vocabulum non habeant, sed constanter scirpum legant.

(l) *Ad Comitem Thomam Calcagnium, ubi inter alia ita:* Fateamur quidem scirpum enodem esse, sed ita fateamur, ut cum inter vitilia numerari, & ex eo nodos implicationesque tortuosas fieri fateamur. Ex his enim crates, stœreas, phormiones, fiscinas, nasillas & id genus texta tum agrestis, tum nauticæ & piscatorię supellestili accommodata legimus, complicari & consui &c. Sicut igitur Græcis γρίφῳ est rete, & implicitam tortuosamque orationem notat: Sic nostris scirpi non juncos tantum & vitilia, sed obtortos & inextricabiles sermones designant. Confer. *D. Glass, Rhet. Sacr. l. c.*

Scriptores apparet convenientia, ac in hoc quidem omnes consentiunt ænigma obscurum esse oportere: Quod utique de ratione formali ænigmatis est, id sive tropis, sive propriis verbis constat. Nihil enim vitiosius esse in ænigmate quàm perspicuitatem, censemus cum *Veneando Nostro Præceptore, Magno Theologo, Dn. D. Damnhauero* (m). Unde sanè logogriphi illi, quos Athenæus (n) proponit de nomine seu potius literis τὰ Thefeus, quas clarissimè *ωφειδῆς* sua luce laborant, nec inter ænigmata referri possunt. Neque quod *Callisthenes* libro de Rebus Græciæ tradit, narrante Athen. l. c. p. 452. (o) Hippodami n. sermo Lacedæmonis obscurus non erat, fuerit talis aliis. Quemadmodum verò obscuritas propriè accidit ænigmati, ita non quamvis orationem obscuram ænigma appellare licet: latius enim illa extenditur (p). Videndum igitur est, cuiusmodi obscuritas ænigma constituat. Synchysis seu ordinis turbatio, quæ sæpe clarissimam sententiam obscurat, hoc loco non sufficit, quanquàm non rarè ænigmati multum obscuritatis conferat. Judæorum quoque Doctoribus singularis commentandi modus est, quo literali sensu, tanquàm crasso, rejecto,

omnia

- (m) Id. Bon. Interpr. & malit. Calumn. sect. 2. art. 4. §. 15. p. m. 219.
- (n) l. c. p. m. 454.
- (o) Refert enim ibi: Cum Arcades Cromnum obsiderent, Hippodamus Lacedæmonius, ex obsessis unum, tanquam ænigmate indicantem, quis esset ipsorum status, præconi ex Lacedæmone ad eos misso iussisse, matri renunciaret ut mulierculam vincam in æde Apollinis solveret, ante decimum diem, quem si præteriret, non amplius solutum iri; ea ratione manifestè declarans, quò res devenisset. Nam in Apollinis templo juxta DEI solium pictura fames expressa fuit mulieris imagine. Patuit ergò cunctis, obsessos incediam ac famem tolerare posse per dies 10. Itaque Lacedæmones verbis ejus intellectis, magnis copiarum viribus auxiliati sunt.
- (p) Non malè *Masenius in spec. imag. V. O. l. 6. c. 7.* scribit: Obscuritatem omnes uno ore ænigmati propriam fatentur, quam vi nominis ab *ἀνίτητο*, i. e. obscure significo, deducti satis indicat. Sed error nonnullorum est, quòd si quid obscurum in oratione aut iconologia se offerat, id continuò ænigma clament. *Conf. Voss, l. c. p. 203.*

omnia in parabolas, similia & allegorias mutant; quem ænigmaticum appellant (q), ad quem non in commode referas, fabulas illorum passim obvias, cæteroquin monstrosas, sed ænigmatico more explicandas, eas enim secundum τὸ ῥητόν non intelligendas esse, nec ab ipsis Judæis intelligi, præprimis clarè demonstravit *Excell. noster Scherzerus* (r) Sed de his, Deo dante, alibi discurremus. Proprius nunc rem ut accedamus, ad ænigmatis constitutionem requirimus obscuritatem tropologicam, quæ efficit ut vera oratio falsa, imò impossibilis videatur. Id quod *Aristoteles* *l. de re Poët.* poscit: *Ἀνίγµατ' ὅτι ἰδέα αὐτῆ ὅτι τὸν λέγοντα, τὰ ὑπέροχοντα ἀδύνατα συνάψαι.* *Ænigmatis forma est hæc, ut qui proponit, illa conjungat quæ impossibilia sunt* (s). Unde apud *Athenæum*, (t) Hic modus οἰκειότατ' ὅτι τῆς τῆ γρι Φέειν φύσεως, *natura ænigmatum accommodatissimus* appellatur, si per impossibilem connexionem oratio jungitur, ut in his: *Quid est quod nescimus, & docemus omnes?* Item *quid, quod nusquam & ubique est?* Hoc tamen etiam notamus, impossibilem connexionem, non tantum in tropologicis orationibus, sed propriis etiam occurrere, quod laudatus *Dn. D. Dannhauerus* l. c. in versibus ænigmaticis *Virgili* probavit, ut ut alii tropos, in illis quærere laboraverint (u). Minus benè itaque definiunt ænigma illi, qui *allegoriam obscuriorem* esse dicunt, ut veteres quidam Grammatici & *D. Augustinus* (x). Aut enim necesse est

(q) Vid. *Schickard. Beech. Happ. p. 145.*

(r) In *Trifolio Orient. p. 155. seqq.*

(s) Connexio rerum impossibilis adæqvata obscuritatis ænigmatice causa est, quæ ingenii aciem exercet in conciliandis iis quæ ἀδυνατός connectuntur. Ita *Magnus Theologus Dn. D. Dannhauerus, Noster Gamaliel. Opt. Id. B. Int. p. 219.*

(t) *L. 10. c. 20. p. 453.*

(u) Sic γρι Φῶδες satis esse vulgatum illud *Suidæ* negabit nemo; *Vir non Vir* (Eunuchus, seu Hermaphroditus) *avem neg, avem saven* (vespertilionem) *in arbore non arbore* (*Sambuco*) *ferdentem, lapide non lapide* (pumice) *feriens interemis.* Per homonymiam enim, quæ tropus non est, æqvè impossibilis connexio emerget.

(x) Vid. *G. I. Voss. l. c. D. D. Dannh. l. c. 'Gyrald. l. c. Franciscum Junium cit. à D. Glaff. Rhet. sacr. l. c.*

est, Allegoriam ultra debitum modum extendi, aut descriptionem hanc universalem non esse. Equidem non ignoramus ab authoribus in hac materia versatis, Allegoriam non in pressiori semper significato explicari, verum ut continet sub se ænigma, & alios formæ ornatus, non autem extra forum Oratorium. Hinc quoque Masenius (y) nimis restringit materiam ænigmatum ad allegoricas tantum locutiones, cum tamen ipse cum aliis plurimis distingvat inter ænigmata pura & mixta, illa in quibus nihil proprium, hæc in quibus propria & apertiora mixtim. Caterum ænigmata non male dividuntur, in ea quæ in figuris & imaginibus deprehenduntur, ut sunt emblemata: & quæ sunt in oratione. Hæc iterum in ea, quæ vel in verbis tantum, vel in rebus etiam reperitur. Ista rursus vel circa literas (z), vel quædam verba finguntur, Clearchus apud Athenæum l. c. recenset ænigmatum 7. genera, alii sex, ut: à simili, à contrario, per accidens, ab historia, per æquivocationem, & secundum linguarum proprietates. Non male Jac. Masenius ad 4. fontes ænigmata omnia refert: Primum genus suppleditur proportio. 2. opposita. 3. alienata. 4. allusio. Admittimus & eam distinctionem quam Stuckius & præsertim Casaubonus passim inculcant, inter ænigma joculare & serium, modò hac distinctione griphus ab ænigmate non singularis species fiat. Tã varia verò cum sint ænigmata, miro modo etiam Authores dissentiant in definitione, Clearchi definitio (a), quæ hæc est: Γῆριφῶς ἐστὶ ἀεὶ βλάη-

B

μα-

(y) L. c. l. 6. c. 8. dicens: Materiam ænigmatum res quæcunque, modò allegorica sit, i. e. translationem aliquam, seu Metonymiam remotiorem obscurioremque complectatur.

(z) Talia multa apud Athenæum l. c. occurrunt, referri & huc possunt illavulgaria.

*Dimidium sphaera, sphaeram cum principe Roma
A te poscit homo, poscit & ipse DEUS.*

i. e. COR. Item;

*Sume caput, curres, Centrem super adde vo labis,
Ad de pedem comedes: & sine Centre bibes.*

i. e. mus, musca, muscatum, mustum. Eodem modo Plato *surem*, hominem trium literarum appellabat, conf. Barth. advers. l. 26. c. 29. & l. 44. c. 7.

(a) Quæ est, apud Athen. l. 10. c. 15, p. 448. edit. Casaub.

μα παισικόν, καὶ περιπατικόν τῆ διαζήσεως εὐ εἶν τῆ διανοία τὸ
 περιβληθὲν, τιμῆς ἢ ἐπιζημίας χάριν εἰρημένον: *Quæstio jocosa quæ*
jubentur conuiva perscrutari, & acie mentis invenire, quod proponitur mul-
ta aut honorarii præmi gratia adductum; Isaaco Casaubono animadv.
in h. l. non placet, nec nobis, illi ob suas, nobis ob has præcipuè
causas, quod quibusdam abundet, pluribus careat; Genus præ-
tereamus, in forma plura desideramus. Aliam antiquam produ-
cit hanc (quæ, ut puto, apud Suidam habetur,) quod ænigma dica-
tur, ὁ δὲ σκολλῶ καὶ συμπεπλεγμένῶ λόγῶ, ὁ ἔχων πᾶθῶ ἐν
ἑαυτῷ μὴ φαινόμενον: Et hæc quoque, licet illa melior, perfecta ta-
men non est. Veterum Grammaticorum quidam (b) defini-
runt per sententiam obscuram, per occultam rerum similitudinem enuncia-
tam. Verùm hæc definitio magis quadrat ad ænigmata figurata,
quæ non tam ore, quam penicillo & imagine exponuntur, hocque
modo ænigma non multùm distat ab emblemate, de quo defi-
niendo ac solvendo, vid. Masen. (c) Præstat definitio potius παρὰ
φροσύνης, Averrois, ad I. Arist. de Re Poët. Oratio comprehendens senten-
tias, quarum connexio impossibilis videtur, eoque, difficulter redigitur ad cer-
tum aliquem sensum natura consentaneum. Scaligeri definitio si ex hac
explicatur, perfecta est, ita verò se habet: Ænigma est oratio obscura,
rem notam, quàm significat ambagibus (exponantur hæc per connex-
ionem impossibilem) regens. Ac sanè hæc definitio nobis videtur
esse accuratior quàm Gerh. J. Vosii (d) quæ hæc est: Oratio obscuritate
allegoria rem notam significans. Hæc enim tantum ad ea applicari
potest, quæ ex tropis conflata sunt, exclusis iis quæ propriis verbis
constant. Aliam definitionem non addemus, cum ad institutum
nostrum nihil conferat, καὶ ἀνθεωπον enim disputaturi, retinebi-
mus definitionem Vosianam, ac præsens nostrum ænigma illi ac-
commodabimus.

CA-

- (b) Cit. Lil. Gyal. l. c.
 (c) L. c. l. 6. c. 1. §. 3. seqq.
 (d) Habetur l. c. p. 205.

CAPUT. III.

1. Ænigmatis Samsonæi difficultas. 2. Historiæ brevis repetitio.
 3. Evolutio Rhetorica. 4. Difficultatis rationes. 5. Vossii de
 eo iudicium. 6. Cui contradicatur, & cur? 7. Circumstantiæ ad
 ænigmatis solutionem necessariæ non sunt. 8. Quod probatur
 aliis exemplis. 9. Nectypica significatio necessaria est.

HActenus de ænigmate in genere, quæ pro nostro scopo la-
 tis sunt, plura qui cupit, citatas adeat auctores. Jam ex in-
 stituto nostro erit, ænigma Samsonis examinare *utrum re-
 verà ænigma appellari possit?* Quæstio hæc utut facilis & perspi-
 cua videatur, non caret tamen dubitandi rationibus, iisque spe-
 ciosioribus, quò à viris Eruditissimis negatum fuerit. Ac omninò
 quidem fixit Samson crucem Philisthæis, proponendo ænigma
 perquam obscurum, quod solvere intra septem dierum spatium
 non potuerant. Tota historia propositi ænigmatis, ex S. Script. al-
 legato supra loco legi potest, quam huc referre super se debimus.
 Ænigma, quod solum nostræ considerationis est, Nicol. Reusnerus
 (a) inversum ita coëgit:

Præbet edax victum, dulcedine fortis abundat. Nempè ex eventu
 ortum est ænigma: Cum Samson cum Parentibus suis ad sponsam
 profecturus, occurrentem leonem, eumque juvenem (b), sævum
 ac rugientem, nullo negotio interemisset; cadaver è publica se-
 motum via, post tempus aliquod nuptias celebraturus, eandem
 viam emensus, visibat, ex improvise examen & apum mellificantium
 offendebar, inde mel ablatum in via comedebat, simulque paren-
 tibus suis vescendum dabat. Quibus factis, pro more in nuptiis,
 sociis suis dictum ænigma proponebat. Oratione impropria illud
 constare, nemo non videt, maximè ex ejus solutione verba figura-
 ta patefcent, deprehendes n. continuatam *synecdochen*, generis, quò
 comedens pro leone, cibis pro melle, fortis pro leone; dulcedo
 pro

B 2

(a) Ænigmatogr. part. 2. pag. 20.

(b) Vocatur in textu sacro *Chephir arajorb*, catulus leonis, è se-
 cundâ nimirum leonum ætate quâs secundum hominis, ætatem
 (vid. *Censor. die Nat. c. 17.*) septem Rabbini esse dicunt Calli
 quatuor, vid. *Camer. hor. succis. cent. 1. c. 22, Ser. 4. c. p. 413.*) sed
 in sacro codice vix ultra duas ætates invenire licet.

pro melle verò *Metonymiæ* accipitur. Nec præterimus elegantissimam ac suavissimam paronomasiam, quæ ænigmati non parum gratiæ addit, dum תֹּמַם מִכֶּלֶם *de comedente* opponitur, מִכֶּלֶם *comestibile*. Chaldaus in versione sua eandem retinuit ita : מִכֶּלֶם מִכֶּלֶם *comestibile*. Voluit quoque eam exprimere *Iosephus*, ita reddens : Τὸ πῖμα βορρὴν γεργενήναι βορρὴν ἡδίστην ἐξ αὐτῆς. Ut alterius quoque membri oppositionem clariorem redderent, nonnulli Ebraum textum corrigere voluerunt, & pro מִכֶּלֶם *de forti*, ponere מִכֶּלֶם *unde de amaro*, (*Syrus & Arabs* eodē modo verterunt) ut quemadmodum comedenti comestibile, ita amarum dulci opponatur. Verum hac correctione opus non est, cum & ipsa vocula 4 *W* sæpius exponatur *seruus, acris*; Ac satis connexionis impossibilitas ex his elucet, imò eò magis obscuritatem auget, quo *forte & dulce* à se magis alienata sunt. Non ineptè enim hoc ænigma nostrum à *Jacobo Masenio* (c) ad fontem alienatorum reducit, nec malè subjungit, quod sæpius illa quæ à rebus ipsis aliena adferuntur, plus argutæ obscuritatis contineant, quàm opposita; creditque facilius Philisthæos ad scopum ænigmatis collineasse, si Samson dixisset: *In mortuo vitam esse reperiam, apes scilicet in ore leonis*. Præter obscuritatem verò ænigma solutu difficile reddit supra prolata occasio, quæ in historia privatim, sine arbitris gestâ, ita ut nec Parentes, nec sponsa Samsonis quicquam scirent, fundamentū habet; quin enim illa ænigmata cæteris difficiliora sint, nemo dubitare potest, qui expendit, cuius historiae suas peculiare esse circumstantias alii vix similes. Accedit ipsa Samsonis confessio, quam post fraudulentam solutionem, coram Philisthæis edidisse videtur, dicens: *Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam*. Ex quibus difficultas, imò impossibilitas solutionis elici posset. Quapropter hæc & alia Virum inexhaustæ eruditionis *Gerh. Joh. Vossum* moverunt, ut problema Philisthæis propositum ænigma in pressiori significata esse negaverit, hunc ita modum d: eo locutus (d): *Quamquam ut ingenue, quod res est, dicam, si pressè sumamus ænigmatis vocem, id quod Samson proposuerat, ænigma*

(c) Spec. imag. Ver. Occ. l. 6. c. 12. p. 611.

(d) Inst. Orat. l. 4. c. 11. p. 295.

non erat, quia ignotum erat Philisthæis, leonem à Samfone interemptum,
 aut mel exceptum esse à leonis cadavere, ut quorum neutrum ulli mortalium,
 atque adeo ne parentibus quidem indicaret, ut cognoscere est cap. ej. v. 7. 10.
 Et 17. Sed ne Philisthæi quidem Christi resurrectio nota erat, quam August.
 serm. 197. de temp. hoc ænigmati signari docet &c. Ænigmatem autem proprie
 rem notam significari, indicat quoque Irenæus. l. 1. 1. adv. hæres. c. 10. &c. Vir
 ergo Eruditissimus existimavit, problema Samfonis à Philisthæis
 non potuisse solvi, atque idèd non ænigma appellari posse. Non
 solvi autem potuisse idèd, quia 1. factum Samfonis Philisthæis
 ignotum erat. 2. ejus typica significatio, ac proinde 3. res planè
 ignota in ænigmatem, contra tamen ejus naturam, contineatur. 6
 Solvi autem à Philisthæis solvi potuisse, cum B. D. monstrabimus, ac
 idèd meritò ænigma dici. Concedimus enim hoc, id ænigma
 jure dici non posse, cujus solutio impossibilis sit, damus & hoc: ad
 ænigma strictè dictum requiri, rem notam sub obscuris sententiis
 comprehendendi, juxta ipsius *Vossii* definitionem. Tandem & hoc
 non negabimus, Samfonis factum Philisthæis planè ignotum fuisse,
 ignotiorèmqve ejus typicam significationem. Verùm enim ve-
 rò, *Vir Doctissimus*, hac in re fallaciam à non causa ut causa est commi-
 sisse videtur, dum eas negandi rationes profert, quò minus strictè
 problema Samf. ænigma nominari debeat, quæ planè ad ænigma-
 tis essentiam non spectant, sed ænigmati ut sic, tantùm accidunt.
 Primum enim ut Philisthæi solvere potuissent ænigma, facti sam- 7
 fonis de leone interfecto, eque ejus cada vere melle excepto, co-
 gnitio necessaria non erat, minus necessaria 2. ejus typica signifi-
 catio ad Christum. Primum probamus exinde, quod Samfon in
 proposito problemate suo nullius circumstantiæ faciat mentio-
 nem nec tropicis nec propriis verbis. Fatemur verò lubentes, si
 Samfon à Philist, sibi indicari petiisset; cui personæ, quo in loco,
 quo tempore, modo ve comedēs cibum præbuisset, ac fortis dul-
 cedinem, tum Philisthæis impossibile hæc dicere fuisset, cum nullo
 ingenii acumine aut subtilitate, sed tantùm rei factæ notitia talia
 constare possunt; nullum quippe factum, ut sic, ulli homini per se
 & ex se est cognoscibile; singulare enim est, ac idèd mutationi ob-
 noxium, Quocunqve enim Philisthæi mentem convertissent, ad

certitudinem illam circumstantiarum penetrare non potuissent, quia infinita alia fuissent, quibus eadem competere potuissent. Quando verò ipse *Samson* nudos terminos duntaxat proponit, quæ ad rei essentiam pertinebant, non opus erat ad ullas circumstantias, vel factum refugere. *Secundo* clarè hoc patet ex subsecuta, fraudulenta licet, solutione quam ex *Samsonis* sponsa expresserant, non dubium enim est quin acutè ænigma solverint, aliàs enim præmium solutionis *Samson* illis non dedisset, (e) nec tamen apparet ullum vestigium, quò facti & circumstantiarum, notitia necessariò adhibita fuisse videtur. Solverunt enim h. m. *Quid dulcius est melle, quid fortius leone?* Hoc nimirum subintelligentes: Leo est ille comedens è quo cibus exiit, mel est illa dulcedo, quam fortis leo præbuit, illo enim nihil fortius, hocq; nihil dulcius est. Nihil audis de ulla circumstantia. Quinimò ita tacent factum ipsum in solutione, ut ne quidem hoc factum esse dicant, sed ænigma, in suis causis solvant. Deniq; aucter dicere quis possit, si *Samson* ad facti veritatem, sepositis etiam omnibus circumstantiis, respexisset, ut experiri vellet, utrum, quod ex illis quæstivisset, factum fuisset, *Philisthaos* stricto jure ænigma non solvisse, solutio enim ad factum præcise non quadrat, sed simpliciter dicit, quid illud sit vel esse possit, de quo interrogati fuerant (f), abstrahendo ab ipso actu, quod *Samsoni* hoc acciderit. Atq; hoc est quod omnibus ænigmatibus ex historia petitis convenit, quod scilicet historia ipsa tantummodo fons sit ænigmati, quæ illi occasionem præbet, in solutione verò præcinditur ab ipsa historiae veritate, ac sufficit id fieri potuisse, quod factum esse historia prodidit. Is enim qui solvit in rationes & causas tantum in-

(e) Dicitur quidem paulo post in textu sacro *Samf. Philistæis* dedisse 30. mutatorias, de lineis vestibus verò nihil habetur, sed synecdoche est, quæ submutatoriis vestibus sindones etiam intelliguntur.

(f) Hinc etiam *M. Ant. Sabellicum Ennead. 1. l. 6. p. 170.* hoc modo historiam recenset: His inter epularum jocularia *Samson* proposuit quæstionem, ut diceret, quonam modo evenire posset, ut res quæ voracissima esset, violenta præterea & immitis, sva-vissimum ore pareret cibum, ad ea haud dubie alludens, quæ in leone & à se per empto evenerant.

8
 quirit. Hinc fit, ut sæpius ænigmatis fons sit fabula, veritatis ni-
 hil habens, quàm in caussis, id tamen solutioni minimè obstat. Ut
 exemplis dicta illustremus & confirmemus, nota est vel historia vel
 fabula (g), nostra enim nihil interest, de *Jocasta* matre & simul u-
 xore *Oedipodis*, qui patre suo *Lajo* interempto, illam duxerat, ac fi-
 lios ex ea genuerat; unde ortum est ænigma: *Avia Filiorum*. Cui
 proponitur hoc ænigma solvendum, non sanè quæritur, quæ nam
 talis fuerit, hoc enim extra historiam nosse impossibile foret, (li-
 cet eo modo inter ænigmata *μνημονικά*, quæ ex sola historia sol-
 vuntur, referri possit) sed cum insigne *παράδοξον*, ac ferè impos-
 sibile in hoc problemate contineatur, ut una eademque mulier sit
avia & mater ejusdem sobolis) Matris enim est habere filios, avia
 verò nepotes) inquiritur hoc tantum, quo pacto hoc fieri possit, ut
 in una persona sit nomen *Matriæ & Avia*? Sufficit ad hoc solventem
 respondere, necesse esse, ut Filius genuinâ Matrē in matrimonium re-
 ciperet filiosque ea gigneret. Id verè sive *Oedipus* fecerit sive alius,
 ad solutionem nihil confert aliud, quàm quod potentia actum su-
 per inducat. poterit & alia quàm *Jocasta* fuisse; Illud verò qui dixit,
 verè ac propriè ænigma solvit. In eundem fermè modum æni-
 gma proponit *Harsdörfferus* (h) historia prius enarratâ, quam
 sanè sub iisdem referre circumstantiis ad solutionem ænigmatis,
 necessarium non est. Meminimus quoque legisse apud eundem
 historiam, quam putamus *Martinum Zeilerum* quoque narrare in
Theatro tragico, in qua refertur Matrem cum filio rem habuisse, Fi-
 lium verò Filiam ex incestuoso concubitu progeneratam, deinde
 duxisse, ex qua historia elicitur hoc ænigma: quoniam pacto fieri pos-
 sit, ut in tribus personis viginti & aliquot gradus consanguinitatis & affi-
 nitatis deprehendantur? Utiqve ad hoc solvendum sufficit dicere,
Matrem cum filio, filium cum filia ex Matre genita concubuisse, nec verò
 necesse est scire, utrum hoc factum sit, minus verò, qui nam isti
 fuerint;

(g) Quam describunt è Veteribus *Euripides, Sophocles, Seneca*
Trag. Statius.

(h) Im Schauplatz jämmerlicher Mordgeschichte/ histor. LXXII.

fuerint: (i) Satis itaque nos demonstrasse putamus, ad ænigmatis solutionem, si id ex eventu ortum fuerit, non necesse esse historiam, vel ipsum factum nosse, sed sufficere rationes & causas attigisse, ac proinde Philisthæos ænigma Samsonis solvere potuisse absque facti cognitione. *Alter a ratio* est, quæ nostram sententiã infringere & studet *Vossius*, quod Philisthæis ænigmatis typicus sensus ignotus fuit. Sed ut breviter ad hoc respondeamus, dicimus: hunc planè ad ænigma non pertinere; & quicquid vel *Augustinus* vel alii Patres & Theologi, sub hoc ænigmati indicatum esse ve-

lint

(i) Talia ænigmata ex eventui orta, plura recenset Athen. l. c. clarissimum verò exemplum habet l. 10. c. 22. p. m. 456. quod *γριφῶδες* ibi appellatur, est verò versibus inclusum h. m.

Μιζόνους τε παλῆς τ' ἐρίφου, καὶ χέτλιος ἰχθύς

Πλησίον ἤρσαντο καρῆα. Παιδα δὲ νυκτὸς

Δεξάμενοι βλεφάροισι Διωνύσοιο ἀναίτη,

Βυφόνον ἔκθελξι πθηνεῖθαι θεράποντα.

Hæc varias mixtim herbas depascens pater, & in felix

piscis,

(filio,

Capitibus proxime admotis confixerunt: noctisq; deinde

In palpebras recepto, Bacchi regis

Bovum interfectorem ministrum nutricari noluit.

Ænigmatis hujus duplicem significationem Athen. adducit, nos altera omittã hanc adscribemus, nempe refert: In Julide bovem quem erant Baccho sacrificaturi, ab adolescente quodam ictum securi. Cum verò festus dies instaret, ad ærarii fabri officinam securim missam fuisse, ac Simonidem adhuc juvenem, qui deferret ad fabrum ivisse: quem cum dormientem offendisset, jacentesq; temere prope illum, cancrum & utrem, obversa inter se anteriori parte, domum reversum familiaribus suis, quam diximus, quæstionem, proposuisse; In qua hædi pater uter sit, miser piscis cancer, noctis filius somnus, Bacchi vero minister bovum intersector, securus. Secundùm *Vossii* iudicium hoc Simonidis problema ænigma dici non posset, quia e jus familiaribus ignotum erat, ænigma dici non posset, & utrum hæc ita contigerint: Sed hæc scire non opus erat, modò terminorum tropicorum dictam explicationem ac convenientiam, mutuumque situm, quem ipsis convenienti solvendo ænigmati modo fingere licuerat, novissent.

lunt (k), non cogitandum est, illicò Samsoni cum id proponeret in mentem venisse (l), multò minùs à Philisthæis id expeti poterat, ut investigarent. Neque verò allegorica significatio tam ad ænigma, quàm historiam ænigmatis ejusque occasionem referri potest. Atque id audire gestiremus, quid typica significatio Philisthæos adjuvisset, si vel eam scivissent. 3. Potius obstitisse, quòd minùs solvere potuissent, existimamus eò, quòd allegorica significatio planè alium sensum infert. Egregiè nostram sententiam confirmat Noster D. Dannhauerus, nunquam absque nominis ἐπισημαστικά citandus, his verbis (m): *Acquievisset procul dubio Samson si Philisthæi dixissent, intelligi hoc ænigmate, è leonis cadavere natum mellis favum: quibus autem & quæ occasione leo obiverit, id nec necessarium erat ad ænigmatis rationem, nec Samson requirebat. Multò minus typica ista significatio erat situm necessaria cum illa ipsa sit in certa &c.*

(k) Plurimas ænigmatis & totius historię allegoricas significaciones vid. apud Noëvarinum in Elect. sacr. tom. 1. l. 1. n. 333. 353. Pinto de Christo crucif. l. Tit. 3. l. 1. n. 23. *Del Rio* in adag. sacris. *Lorin.* Comment. in h. l.

(l) Confer Lavat. Comm. in h. l. ferm. 77.

(m) Id. B. Interpr. l. c.

CAPUT. IV.

1. Distinctio Vossiana inter ænigma latè & stricte dictum, ad ejus mentem rejicitur.
2. Ænigma ad Vossi definitionem examinatur.
3. Solvitur ex terminis quoad membrum primum.
4. Et secundum, ut & ex consequenti.
5. Quæ nota esse oportebat.
6. Et erant, ad hypothèsin primam, ex cadaveribus humanis &c.
7. Bochartus impugnatur.

HActenus de iis quæ ad ænigma non pertinebant, & sine quibus Samsonis problema à Philisthæis solvi potuisset. Nunc transeamus ad ea, quæ necessariò requirebantur, ut solutio investigari posset. Attulimus suprà definitionem ænigmatis ex Vossio, quàm licet in totum non perfectam judicemus, id tamen quòd deest, nostrum ænigma non attinet, unde ut fortius pugnemus, eam retinebimus. Distinxerat autem Vossius inter ænigma in presiori & strictiori sinnificatu acceptum, & inter id, quòd latiori sensu tale est. Problema Samsonis ex posteriori genere esse concedit. Verùm si fundamentum Vossii respicimus in quo distincti-

C

onis

onis discrimen quærit, nempe quia ænigma à Philisthæis solis
 solvi non potuit, non videmus quâ ratione distinctio concedi
 queat, siquidem illius fundamentum simpliciter & necessarîo ad
 essentiam ænigmatis pertinet, vel potius præsupponitur: Qvis
 enim id ænigma appellaret, quod nullo modo solvi potest? Ne
 quidem latè ænigmatis nomine gaudet. Nos autem si cum aliis
 distinctionem admitteremus, quam omninò admittimus, ita di-
 stingueremus ut ænigma latius diceremus id, cujus termini non-
 impossibili connexionem juncti essent, vel quod minori negotio
 solveretur, vel quod alio quocunqve modo definitionem æni-
 gmatis laxiorem redderet, retenta tamen semper hac hypothesi,
 solvi posse. Conferamus verò ad *Vossii* strictiorem definitionem
 ænigma Samsonis: *Obscuram id orationem esse nemo negat, nec Vos-
 sius, cui obscurissimum esse necesse est, quod solvi non possit,
 Allegoricæ etiam continere voces, prout Vossius quidem allegori-
 am accipi voluit, non dubium est, quod supra demonstravimus.*
 Unicum ergo hoc restat, ut ostendamus ænigma circa rem notam
 versari; Limitanda verò est illa materiæ noticia, non enim ita rem
 notam esse oportet, ut ænigmate proposito statim, quo valeat
 fermo, videas, sic enim non ænigma esset, sed clara oratio; Neq;
 hoc requiritur, ut nota sit sub omnibus circumstantiis, ita ut qui vis
 rusticus vel flagello aut altero pede, monstrare possit, sed sufficit,
 notam esse materiam in causis, vel notam esse posse, vel notam
 esse in alia materia, quæ supra clarè demonstravimus (a). Pro-
 bandum itaque hoc est, notam rem esse potuisse, è Leone mel provenire;
 Priusquam verò hæc demonstrabimus, ostendemus ipsius æni-
 gmatis solutionem, & quomodo eam indagare Philisthæi de-
 buissent. Quæ in re egregium ductorem habemus iterum *Nostrum
 Dannhauerum* l. c. ubi omnis difficultatis glaciem fractam jam re-
 perimus. Instituemus autem primo terminorum harmoniam,
 quæ inventa, deinceps connexio propositionis faciliùs elicitur,
 Talia

(a) Ad ænigma sufficit si notum esse possit per suum significatum
 immediatum, etiamsi de circumstantiis & significatis remotis
 non semper liquido constet. *Verba sens nunquam satis lau-
 dandi Theologi, Præceptoris nostri Ven. D. D. Dannhæueri l. c.*

Talia autem in hoc ænigmate querenda sunt subjecta qualia per-
mittuntur à suis prædicatis hic allatis, prædicata autem prioris
termini seu ænigmatis subjecti, sunt כָּמֵן comedens & יָוֵן fortis,
posterioris כָּמֵן & פִּינֵן *cibus & dulcedo*, ad quod etiam perti-
net verbum נָפֵץ *exivit*. In priori facilius explicationem hario-
lari possumus, quo *συνεδοχικῶς*, cæteris, in ænigmatibus, faci-
liori tropo, posita sunt. Generales enim terminos esse, *vorax &*
forte, pluribus rebus competentes, nemo non videt. Ad speciem,
ergò de scendendum est, quam utriusque collatio non adeo diffi-
cili negotio definire potest. Posterius enim ænigmatis mem-
brum per *redundantiam ἐξηγητικὴν* prius apprimè illustrat ac faci-
lius reddit. Quod enim est *comedens*, idem etiam est *forte*; Et
quod *cibus*, idem & *dulcedo*, tritissima in S. Script. figura. Animal
autem intendi hac περὶ Φέδες , in aperto est, nulli enim vita sen-
suque carenti illa competunt. Ex animalibus verò, cui magis
voracitas & fortitudo tribuuntur, quam *leoni*? Instas: *Tauro*; *Cvi*
& cætera melius, saltem æque ac leoni conveniunt, ut ex sequenti-
bus patebit. At verò si vocem hebræam ejusque emphasin con-
sideras, quæ non simpliciter comestionem, ut ab omnibus anima-
libus fit, sed sæpissime *violentam cumq; invasione ac occisione illius quod*
devorat, conjunctam, uti loca plurima è sacro codice afferri possunt;
Deut. 4. 2. Sam. 17. &c. ac iccirò talis comedens hic indigitatur,
qui simul rapax est & consumens &c. quod de tauro explicari
non potest. Instas ulterius, in *lupum* hæc prædicata cadere, quæ
fortis & vorax rapaxque fit; respondeo, non tamen eo gradu, quo
in leonem, cui utrumq; ἐξόχικως competit; Nec posterig membrum
lupo applicari potest: Stat ergo, ex utroque prædicato facillimè,
leonem subintellectum fuisse. Quoad alterum: Quid prius homi-
ni in Chanaanæ præprimis terra degenti, in mentem venire po-
tuit, cum audiverit *dulcem cibum* nominari, quam *mel*, quo dulcius
nihil est (b), & cujus tanta ibi erat copia, ut passim in scriptura
fluore dicatur. Verbum autem נָפֵץ *exire* sive de egressione *locali*,
C 2 five

(b) In Sardinia verò amarum mel esse, propter absinthii pabulum
tradit Jo. Pincier, *libr. anigm. 2. anigm. 5. p. 107.* Sed singulari
hoc est, quocumque modo consideres.

sive generatiua accipiatur, utrumq; enim fieri posse infra monstrabimus, melli ac leoni optimè accommodatur. Licet enim dulcedo per generationem à leone progredi non potuerit, facilis tamen est metonymia effectus pro causa, & adjuncti pro subjecto, dulcedinis pro melle, & mellis pro apibus, Nihil his obstare videmus, quo minus directè ad *γωαρισμὸν ὄρων* pervenire possis. Habes itaque monstratum, in ænigmate *mel è leone progressum* indagatum fuisse. Ex consequenti autem ulterius concludere licet, leonem non vivum, sed mortuum fuisse oportere; *Ex vivo enim leone impossibile est egredi cibum palato nostro suavem*, inquit Max. Rev. D. Dannhauserus l. c. præsertim si cibum per generationem productum esse dicamus. Solutum hinc est totum ænigma, nempe *leonem mortuum mel præbuisse*. Sed ad obtinendum scopum nostrum nondum omne punctum tulimus, probandum nunc porro est, utrum hæc Philisthæis nota esse potuissèt. Id quod in campum physicum atq; historicum delati, probatū dabimy. Satis verò probasse persuadebimus nobis, si ostenderimus mel è leonino cadavere venire posse, ère simili, à qua ad leonis cadaver facile concludere licebit, id sive factum sit per generationem, sive quocunqve alio modo, utramque autem hypothèsin defendimus, quamvis ad rem ipsam non admodum conferat. Præsupponimus autem hoc, ubicunqve apes inveniuntur, ibi mel quoque dari, nec nobis hæc negatum iri speramus, quoniam gens studiosissima ac laboriosissima nusquam locorum operas suas non peragat, ac opus suum relinquat. Quamvis enim *Iud. 14. 8.* distinctè dicatur: *Et ecce examen apum in corpore leonis, & mel*; optimè tamen *Clarissimus* Bochartus, *Gallus*, (c) exponit per figuram *ἔν τῷ δούρῳ* i. e. *examen apum mellificarum*. Mel verò & apes in cadavere leonis reperisse Samsonem, quidam (d) prorsus *prodigiosum* esse affirmaverunt, quod apes à tetro odore, è putridis corboribus proveniente abhorreant. Mundissimum enim apem esse animalculum, eùm Virorum Experientistis

(c) Hierozoic. part. 2. l. 4. c. 11. p. 511.

(d) Vid. Lavat. Comm. in h. l. ser. 76. p. 86. Ulyss. Aldrov. libr. 1. de insect. p. 17. col. 1. edit. Francof. impr. 1618. *miraculis loco habet*, Petrus Martyr Comm. in h. l. *totum hoc divina providentia tribuit.* pag. 135

tiffimorum testimonia, tum ipsa experientia probat (e). Verum concessa aliquali munditia, aded non semper abhorreat à putridis corporibus, ut potius exempla plurima nobis aliud persvadent. Refert enim *Herodotus* (f), postquam *Amathusi* caput *Onesili*, quia ipsos obsederat, amputatum, & *Amathuntem* delatum, supra portas suspenderant, illud exinanitum examen apum referuisse. Itemq; refertur apud *Sam. Bochartum* & *Ulyss. Aldrov. l. c.* in *Hippocratis* sepulchro diu examen apum mellificantiam fuisse. Item *Bochartus c. l. ex Ul. Aldr. l. c. p. 100.* (fortè editionis novissimæ, in nostra enim habetur nihil) citat historiam, quæ sanè momenti plurimum habet: *Verona* sc. in aede sanctæ Crucis in sepulchro (foetoris absqve dubio plenissimo *Sororum* *I. C. Vitalis* quarû una occubuerat Anno 1558, altera 1562. apes inter utrumqve cadaver, mellis favos copiose confecisse, donec anno 1566. sepulchrum fulmine apertum, absqve ulla vel cadaverum vel favorum læsione, favos ipsos atqve apes numerosissimè mellificantem coram omnibus exhibuerit. Hæc certè satis probant, experientiam de apibus, foetorem cadaverum fugientibus, perpetuam non esse. *Quin Martinus Zeilerus* narrat (g) *Sedim Pomerania* examen apum è camino, in quo per tres annos colligebant, ablatum esse: Et licet intra hoc spatium fumum nullum per caminum ascendisse concedamus, tamen absqve dubio odorem pristinum servaverat, quò aliàs apes abigi solere, vel proverbium docet. Quid mirum ergo, si apes in loco alioquin amœno (h), cadaveri leonino insident, ibidemqve favos conficiunt? Nec operæ pretium nobis fecisse videtur *Sam. Bochartus. c. l.* undiqve rationes colligens, quibus probaret, cadaver leonis tantum fuisse *σκελετὸν σῶμα, corpus exsiccatum ac aversatum*, in quo nihil

C. 3

(e) *Aristot. hist. anim. l. 9. c. 64.* edit. *Scal. text. 375.* de ape scribit: *καθαρώτατον ἐστὶ τὸ ζῶον* Item p. 1122: *πρὸς σάρκα δὲ ἐδεγὸς καθίξει, ἐδ' ὀψοφαγεῖ.* *Carnibus nullius animalis insidet, neq; obsonium appetit.* Conf. *Ælian. de animal. l. 5. c. 11. p. m. 267. Ul. Aldrov. l. c. p. 16. seqq. Plin. l. 11. c. 10. & 21. Bochart. l. c. p. 505.*

(f) l. 5. c. 114.

(g) *Epist. Cent. 3. ep. 85. p. m. 284. ed. in 4.*

(h) Hanc conjecturam multos è *D. Ambrosio* didicisse vidimus. *Nicol. Serar. vero l. c. p. 418.* se tale quid in *Ambrosio* legisse negat.

nihil supererat præter compagem ossium. Fundamentum quo hæc *Bochari*. conjectura nititur, valde lubricum est, nempe intergrum annum effluxisse putat, inter ea tempora, quibus leonem interemisset, ac post eundem revivisset (i). Ex voce שׁוּבָה post dies, firmiter probari non potest, quandoquidem illa non semper, ac nequidem in illis locis omnibus, ex quibus hoc demonstrare laborat, annum totum denotet. Neque probabile est *Samsonem* post sponsalia, per totum annum sponsam suam nunquam revivisse (k). Non autem videmus quid absurditatis inde sequatur, si hac sententia stamus, apes post dies aliquot, cadaveri leonis, nuperrimè occisi infedisse (l). Et si vel maximè in *Bochari* sententiam transiremus, tamen flueret illa, quam adstruendam laboramus, sententia, notam rem Philisthæis esse potuisse, mel desumptum esse è leonis cadavere. Ex his ita *concludimus*, si apes insident cadaveribus humanis, iisque foetidis, si cavernas (m) terræ & arborum amant, scortore non prorsus vacuas; quin leoninum cadaver advolent, nulla subest ratio.

CA-

(i) Notamus hic obiter lapsum memorie *Dodivisimi Bochari*, quem in hoc loco commisit, verba ipsius adscribemus, quæ habet l. c. p. 105. *Samson enim quæ occiderat, reliquit in agro jancentem, & reversus est post dies ut duceret Dalilam, & secersit ut videret cadaver &c.* Dalila enim non fuit, quam tunc, cum hæc fiebant, ducebat, de Dalila verò legitur c. 16. Jud. cui longè post hæc, consueverat, nec usquam legitur, quod Samson illam duxerit.

(k) Vid. Nic. Ser. l. c. q. 10. ubi sex argumentis hanc opinionem refutat.

(l) Disputant Commentatores, cui præcipuè parti cadaveris apes infederint. *Joseph. l. 5. Ant. Jud. c. 10. עו שׁוּבָה* Ἰδὲ λέωντος νεοσσευκέναι tradit, in pectore. *Lil. Cyr. Lib. anigm. Tom. 2. op. p. 452.* in arefacto capitis ossè, i. q. cranio *Vvolph. l. c.* in oris rictu, *Vulg.* in ore. Sed hebr. *Gefi'ah* neutrum horum, sed in genere corpus significat. *Chaldæus* reddidit per פּוֹרָה *pigrâ*, quod corpus destructum designat, nec ullibi pro certa corporis parte usurpatur. Frustranea ergò illa omnia sunt, quæ *Corn. à Lapide Comm. in h. l.* de hac re in medium affert, quod apes ore animalium delectari soleant, ex hoc enim non sequitur.

(m) Quod affirmant *Aldrov. l. c. Plin. l. 7. Coleræcon. rur. & dom. l. 13. p. 535.*

CAPUT. V.

1. Generatio apum. 2. Fit è mortuo tauro. 3. Hinc apes taurigenæ. 4. Elcone quoque nasci possunt. 5. Rationes. 6. Syllogismus ænigma solutum sinit. 7. Ad ejus subsumtionem quid respondendum. 8. Objectioni occurritur. 9. Clauditur solutione similis ænigmatis.

Ulterius verò progrediemur, ac tentabimus rem propius accedere, inquitur; *utrum apes è leonino cadavere etiam nasci possint. utrumque Philisthæis notum id esse potuerit? Aristoteli jam pridem generatio apum res abstrusa visa erat, scribit enim (a) h. m. περι δὲ τὴν γένεσιν τῶν μελιττῶν ἔ τὸν αὐτὸν τρόπον πάντες ὑπολαμβάνουσιν οἰμένους Φασιν ἐτίκτειν, ἔδὲ ὀχέυεσθαι τὰς μελίττας, ἀλλὰ Φέγειν τὸν γόνον &c.* Verum quantum nobis visum erat per totum locum tantum de generatione univoca loquitur, nulla mentione æquivocæ factâ. Eam autem passim veterum scriptorum consensus in hoc confirmat, quod unanimiter è tauro generari apes posse, statuunt, utut Colerus (b) parabolicè id ab anti quis dictum esse putat: Varro Rust. l. 3. c. 16. Ita distingvit: *Apes nascuntur partim ex apibus, partim ex bubulo corpore putresacto.* Serv. ad l. 4. Geor. Virg. *Apum sunt multa genera, proprie tamen nascuntur apes de bobus, fuci de equis, crabrones de mulis, vespa de asinis &c.* Nec tantummodo natura duce hoc fit, sed etiam arte hæc generatio producitur. Hinc veterum quidam studiosissimi sunt in modo hujus generationis describèdo, Prolixissimè de eo canit Virgilius l. 4. Georg. v. 285. usque ad finem (c) quod ulterius monstrat ex aliis Lud. de la Cerda ad c. l. Ac inde est quod Anigonius Carystius narrat (d): *In Æ-*

(a) Hist. anim. l. 5. c. 19. p. 609. ed. Scal.

(b) Oecon. l. c.

(c) Hic verò subitum ac dictu mirabile monstrum
Aspiciunt: liquefacta boum per viscera toto
Stridere apes utero, & ruptis effervere costis,
Immensasque trahi nubes, jamque arbore summa
Confluere & lentis uvam demittere ramis.

Ovid. l. 15. *Metamorph.*

--- Mactatos obrue tauros

(Cognita res usu) de putri viscere passim,

Florilegæ nascuntur apes, quæ more parentum

Rura colunt operiq; favent, in spemque laborant,

Confer. Ulyss. *Aldrov.* l. c. p. m. 26.

(d) Admirabilium narrationum congerie §. 23. e. vers. Xylandri p. 124. variorum opus.

3 ggypto loca quaedam sunt, ubi si defodiatur taurus, ut cornua duntaxat supra terram emineant, eaque deinde terra amputentur, ferunt apes evolare, putredine enim taurum, in istud animalculum mutari (διαλυσθαι), Quo videtur etiam Philetas animum intendisse, homo admodum curiosus, vocat enim apes taurigenas hoc versu :

Βεργενίας Φάμεν ὅτι προσεήσαο μακρὰ μελίσσας
Taurigenas hae satus, apes longinquas adisti. (c)

Nec Philetas solus est, qui apes βεργενίας aut βεργόνας appellavit, sed magnum eorum numerum afferre possemus, nisi labore frustraneo actoque superfedere mallems, multos quoque adducit Bochartus l. c. (f). Sed hactenus de Tauro. Quid verò de leone? Natas esse apes è leonino cadavere non solum illi negant quos supra citavimus, sed alii quoque plurimi, Bochartus. Ul. Aldrov. Colerus &c. argumenta verò eorum nondum audivimus, quibus satis probare possunt, præcipui vis in hoc consistit, quod nusquam apud veteres legatur è leone apes natas esse. Sed insufficientis negandi ratio est, cum veteres i. huic observationi & experientiae non aded attendere potuerint, prout experientiae de tauro. 2. non desunt qui idè de leone, quod de tauro prodiderunt. Allegat ipse Bochartus authores, qui apes λεοντογενείς vocant, interque eos Mustetum Anglum (cujus copiam utinam habuissimüs!) qui in insectorū theatro, alias apes scripserit esse ταυρογενείς, alias λεοντογενείς, optimas insuper ac verè nobiles ex leone habere originè, harūq; principes & reges ex ejus cerebro stema deducere (g).

Quod

(c) Confer. Herodot. l. 2. c. 4. & 6.

(f) Quibus adde Cæl. Rhodig. L. A. l. 22. c. 3. Ælian. hist. anim. l. 2. c. 57. p. m. 133. Nicol. Serar. l. c. qv. 10.

(g) Quod multi alibi de apibus taurigenis narrant. Imò perquam mirificum nobis videtur, quod Ul. Aldrov. l. 1. de insect. p. m. 26. b. refert: Se in praesentia alicrum, caprum fucum digitis ac ungue medium pressisse, tum verò ruptis visceribus, atq; posterioris partis pellicula, album seu croceum caput bovis, expansis & tortuosis cornibus, rostroque adunco, affabrè formatum derepente emeruisse; Cumque cæteri rem novam, antea nunquam visam admirarentur, ac denuò experiri efflagitarent, aliis subinde quinque fucis, à se ut antea pressis, totidem similiter boum capita erupisse: Ita natura apum semina leonum rationem atq; unde tandem amissa instauranda sint ostendit.

Quod si verum est *Lyranus & Abulensis* comm. in h. l. (h) suo labore
 supersedere potuissent, quo monstrare satagunt, apes è leone na-
 tas, fuisse fordidiore, & viliores quia leonis gravis sit odor atque
 halitus, quem apes fugiunt. Halitus n. gravis deficiente vita perit,
 neque probabile est, vile mel *Samsonem* comedisse, minus verò Pa-
 rentibus, & quod *Josephus* l. c. tradit, sponsæ præbuisse. Nostum 5
authoritate Virorum Maximorum tum rationibus innixi, statuimus,
 apes generosissimas è leonino cadavere prognatas & generatas,
 mel optimum Samsoni subministrasse. Confirmat hanc sen-
 tentiam vox *ΝΥ*, quæ Sp. S. utitur, quæ non egressionem localem, sed
 ferè ubique, paucissimis exceptis, progressionem generativam defi-
 gnat, quod plurimis Scripturæ locis, ac à verbo derivatis nomini-
 bus, demonstraremus, nisi rei clarissimæ ac satis perspicuæ, ali-
 quid lucis affundere velle, videremur; Remittimus interea lecto-
 rem ad *Schindleri lexicon in rad. ΝΥ*. *Josephus* vocis emphaseos haud
 ignarus, reddidit: γεννηται gene ravit. Secundo nihil obstat, quo
 minus, ut de putri tauro, generatione æquivoca, ita quoque è putri
 leone, apes generari possint. Hocq; illo verius, saltem credibilis
 est, quo quidam scriptores mirandam inter leonem & apes similitu-
 dine m, deprehenderant 1. in colore, qui utriusque fulvus est. 2. in com-
 plexione quæ utriusque ardens & cholericæ. 3. in fortitudine, apes enim
 vel maximum hostem invadit, & aculeo fugat, parvissima licet. 4.
 in pariendo, leo enim, primo quinque catulos, dein pauciores,
 mox unum, post nullum amplius parit; Ita apes primùm multi-
 tudinem, mox paucos & minores, tandem nullas generant (i). Hinc
 igitur firmiter concludimus: Apes naturaliter omninò è leonino
 cadavere nasci posse, denique h. l. natas esse. *Consentaneum enim*, in-
 quit Serar. c. l. videtur, ut quænamadmodum bubuli cadaveris, sic & leoni ad
 apum generationem aliqua sympathia sit, cum præsertim loci, temporis a-
 ffrorumque mites et idonei influxus concurrerint, ac imprimis divina vis. Et
 Corn. à Lap. bene infert. l. c. Si naturaliter apes ex tauro nascuntur, cur
 non & nasci possint ex cadavere leonis (k). Ex quibus omnibus sequi-
 tur 6

D

(h) Cit. Corn. à Lap. comm. in h. l.

(i) Vid. Corn. à Lap. c. l. Aldrov. l. c. p. m. 24. B.

(k) Vid. Dn. D. Glaff. Dn. D. Dannh. l. c. Dn. D. Franz. hist.
 an. l. 4. c. 8. Sennert. Physf. l. 7. c. 10.

tur omninò notum esse potuisse, apes è leone natas fuisse; Potissimum si logicum argumentandi artificium adhibuissent, quo rem obscuram perquam clarè enucleat ex hæctenus dictis, *Noster Vener. Dn. Præceptor D. Dambau.* ita argumentatus l. c. *Is à Samsonè intelligitur* *cibus, qui dulcis sit & generatus fuerit è cadavere, & ejusmodi animal, quod sit voracissimum pariter ac robustissimum. Atqui mel ejusmodi cibus est, qui & dulcis sit & generetur è patri leonis viscere: deinde leo est animal voracissimum & robustissimum. E mel & leo sunt ea, quæ Samson suo* **7** *ænigmate intelligit. Major est ænigmatis. Minor subsumitur ex iis quæ hæctenus probavimus. Licet enim quis instare possit, plura animalia subsumi posse, quæ supra diximus, ac ideò Philisthæos animo hæcisse. Tum verò respondemus: Accidere id plurimis ænigmatibus, ut plures admittant quodammodò interpretationes ac solutiones (l) quanquam & alia pauciores, neque hoc frustra fit, sed ideò proponuntur, ut animum exerceant, ac illa solutio eligatur, quæ cæteris præstet, tum enim*

Bene qui conjiciet, vatem hunc perhibeto optimum (m)

Accuratus verò perpendenti ænigma, semper una significatio apparebit altera scopo proximior, quam pro verâ tandem reddere potest. Unde Philisth. si animo vacillasset, nec de sensu inter eos convenisset, id apprehendere debuissent, ad quod potissimum

(l) *Is. Casaub. ad c. 17. l. 10. Athen. p. 75. 4.* scribit, ejusmodi problemata veteres proposuisse, quorum possit afferri multiplex interpretatio, quoniam singuli convivarum ita ingenium exerceere potuerant. Hinc ipse quoque ad *l. 10. c. 20.* ad griphos supra positos aliter respondet. Nempe cum ibi interrogabatur, quid esset, *quod omnes doceamus, nec tamen sciamus*, ibique responderetur *τὸ ψυχὰς ἔχειν* (putamus verò nos Veteres per hanc responsonem *αὐτογνωστικὴν* indigitasse, si n. crude intelligeretur, animas habere, non immeritò *Casaub.* solutionem *περὶ ἀλογισμῶν* redarguit, cum omnes animas habere sciamus) *animas habere*, se responsum fuisse, *præcepta medicinæ*. Ad id: *τὶ τὰ ἴδον ἔδραυσ ἡδὲ πάντας*; *infinisum* seu *Deus* (nam Jovis omnia plena) cum apud Athenæum per *temperatum* solutum fuerit.

(m) Quod Cicero l. 2. de Divin. p. m, 279, Tom. 2. oper. de divinatoribus dicit.

finum attributa spectare viderant, hoc si fecissent, facile *leonem & mel* in ænigmate intelligi deprehendissent. Restat adhuc aliqua objectio, cujus jam supra mentionem fecimus, quæ *Gerh. Joh. Vosii* opinioni admodum favet, ænigma à Philistæis solvi non potuisse: Ipsa nempe *Samsonis* data solutoribus fraudulentis responsio, quæ hæc: *Nisi arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam.* Quibus verbis clarè *Samson* impossibilitatem solvendi suum ænigma innuere videtur. Ut verò horum verborum contortam aliorum responsionem, omittamus, per quam alias illa sententia minimè flueret; nos breviter respondemus, *Samsonem* non hoc voluisse, quod ænigma suum simpliciter à nullo solvi poterit, sed positum tum præsentibus, circumstantiis, id vel indissolubile illis fuisse, vel difficulter solubile: Atque ita distingvimus inter *impossibilitatem solvendi*, quæ ex ignorantia & stupiditate solventis oritur, & eam quæ est in ipsa materia (n). Sic videmur nobis satis demonstrasse, problema *Samsonis*, revera & in presiori significato ænigma appellari posse. Tandem coronidis loco tentabimus difficilimum illud ænigma, quod *Vossius*, sæpius c. l. ex *Scaligero* scripsit, cujus-
cunque illud sit, ac insolutum relinquit, solvere. Ænigma è ver-
bione *Scaligeriana* (nam origine græcum est) ita se habet:

Illud sepulchrum non habet cadaver:

Illud cadaver non habet sepulchrum:

Sed est sibi cadaver & sepulchrum.

Quamvis haud ineptè quis de *statua Salis Lothi uxore* interpretari possit. Quid verò obstat, quo minus de *Leone à Samson* interempto, deque apibus ex illo generatis, explicari possit? Sanè leo cadaver erat sine sepulchro, eratque sepulchrum sine cadavere, nam apes vivæ non mortuæ erant: Eratque sibi cadaver & sepulchrum; conjecturam hanc nostram *Benevolus Lector*, nisi prorsus laudaverit, non prorsus tamen rejiciet. *Tantum.*

D 3

CO.

(n) Optime igitur *Masenius* l. 6. c. 7. l. c. observandum, *ingbis*, per quam diligenter est, obscuritatem aliam ex ignorantia & difficultate ipsius cognoscentis, aliam ex rei cognitæ difficili connectione cum re significata exurgere.

Corollæ.

1. Non necessario *Samson* scribendum est, quod LXX. ita verterunt; Præstat *Simson*. Non erat ergo, ut *Nic. Serarius leuita*, Lutheri, Tremellii aliorumque versionem increparet.
2. *Samson* gigas dum à pictoribus pingitur, fingitur.
3. Per modum habitus *Samson* robore præditus non erat.

FINIS.



153 044

ULB Halle

3

003 484 998




5b


ATB 153 044

VD 17





o exc
d. 28.
im. 2
9 &
EBA
itas
ob M
is.
adur
urfu
qui
debit
2. 12
Oce
ejus
iebu
aliisc
vico e
affe
ation
esens
erunt
crea



17.

I. N. J. C.
DISSERTATIO PHILOLOGICA
De
ÆNIGMATE
SAMSONIS,

QVAM
*Consentiente Incluto Collegio Philosophico, in Alma
Lipsiensi Academia*

PRÆSIDE
M. JOHANNES ULRICO
WILDIO,

ARGENTORATENSI,
publicè defensum ibit

JOHANNES VVILHELMUS Weyhe

Opfershusano-Hennebergicus,
ad d. 30. Mens. Decembr. h. l. q. f.

Lipsiæ,
Lineris JOHANNIS-ERICI HAHNII,
c1o c1o LXV.